Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 309
Quelle:
Copyright:

ſententiis ad informandum hunc Commentarium plurimum uſus ſit Autor, liquet ex fine: *et ad preſens hec collecta ex dictis ſancti auguſtini et ex dictis ſancti criſoſtomi circa ſacrum euangelium beati iohannis ſufficiant.*

II. *fol.* 132. Ανακεφαλαιωσιν inſtituit Autor redeundo ad C. I. *Job.* hoc modo: *In principio erat uerbum. Suppoſita literali expoſicione ex dictis circa literam in hiis uerbis exponendis per modum collacionis tria inſinuantur* &c. Atque hic jam non totus textus percurritur, ſed ſingularia delibantur. Autorem hujus geminae Expoſitionis *Lucae Waddingo* in *Scriptt. O. M.* debeo. Eſt is *Job.* dictus a Patria *Wallenſis*, *Gualleuſis*, *Walleys* mortuus *Pariſiis* 1285. a ſuo *Communiloquio* ſeu *Summa* notus, quidquid *Oudinus Thomam Jorſium* pariter dictum *Gualleuſem* ſed O. Praed. obgerat, cui nihil ejusmodi tribuunt ſolertiſſimi *Bibliothecarii Dominicani*, nec *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* quanquam non diffitear, tenebras pluribus *Gualleuſibus* circumfuſas a nemine adhuc ſatis diſcuſſas fuiſſe. Quod me praeterea *Waddingo* adjungit, eſt finis ſecundae hujus Expoſitionis. Siſtit ea in C. *ult. v.* 18. *Cum autem ſenueris, extendes manus tuas* &c. eumque totum B. *Franciſco Aſſiſiati* adplicat, unde et in margine notatur: *Thema de beato Franciſco.* Pro quo ſane *Dominicum* legeres, ſi Autor ad hujus Sodalitium pertinuiſſet. Clauſula eſt: *Ex hiis collacionibus patent miſteria multa in litera ut patet conferenti collaciones cum ipſa litera. Sunt enim de illis que dicuntur in litera in quibus eſt pondus miſteriorum magis ut ſimiliter patet conſideranti.*

Adſcripti ſunt alia manu coaeva: *Verſus conſanguinitatis Chriſti.*

Anna ſolet dici tres concepiſſe marias
Quas genuere uiri Joachym Cleophas Salomeque.
Has duxere uiri Joſeph alpheus Zebedeus
Prima parit chriſtum Jacobum ſecunda minorem
Et joſeph iuſtum peperit cum Symone iudam
Tercia maiorem jacobum volucremque johannem.

CXVI. VII E 18

336 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 169. f. per duas columnas bene ſcriptus complectitur *Haimonis*, cujus tamen nomen reticetur, e *Fuldenſi* Monacho Epiſcopi *Halberſtad.* Scriptoris Sec. IX. *Commentaria in D. Pauli Epiſtolas*, non tamen conſueto ordine, ut etiam collatio cum Editione *Pariſ.* 1550. 8. docuit. Eſt vero is in *Cod.* Ordo: *Epiſtola ad Rom. ad Corinth. I. ad Corinth. II.* quae a fine c. 10. deficit, *ad Theſſalonic.* I. quae incipit a fine c. 3. *ad Theſſalonic.* II. *ad Timoth.* I. et II. *ad Galat. ad Ephes.*